



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Commonitorium datum Angilberto Abbati Centulensi eunti Romam ad  
Leonem III. anno Christi DCCXCVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

Omnia namque synodus secundum admo-  
nitionem Domni Regis consensit, & eum

in eorum confortio sive in orationibus re-  
ceperunt.

## COMMONITORIUM

Datum Angilberto Abbati Centulensi eunti Romam  
ad Leonem III. anno Christi DCCXCVI.

**K**arolus gratia Dei Rex, & Defen-  
sor sanctæ Ecclesiæ, Homero Auri-  
culario salutem. Divina regente miseri-  
cordia iterum & prosperè te adducente ad  
Domnum Apostolicum Papam nostrum,  
admoneas eum diligenter de omni hone-  
state vitæ suæ, & præcipuè de sanctorum  
observatione canonum, de pia sanctæ Dei  
Ecclesiæ gubernatione, secundum op-  
portunitatem collationis inter vos & ani-  
mi illius convenientiam. Ingerasque ei sæ-  
pius quam paucorum honor ille, quem  
præfentialiter habet, annorum, quam mul-  
torum est perpetualiter merces, quæ da-  
tur bene laboranti in eo. Et de simoniaca  
subvertenda hæresi diligentissimè suadeas  
illi, quæ sanctum Ecclesiæ corpus multis  
malè maculat in locis. Et quicquid mente

tenes sæpius querelis agitasse inter nos.  
Sed qualis mihi esset conlatio cum beato  
Hadriano Papa prædecesore illius de con-  
struendo monasterio ad sanctam Paulum  
nullatenus dimittas suggerere illi, ut vo-  
lente Deo revertens certum mihi respon-  
sum habeas referre. Dominus Deus ducat  
te, & dirigat in omni bonitate cor illius,  
ut faciens faciat quod sanctæ suæ proficiat  
Ecclesiæ, ut sit nobis pius pater & pro-  
bis præcipuus intercessor, ut idem Deus  
& Dominus noster Iesus Christus nos in  
sua florere faciat voluntate, & cursum qui  
supereft nobis vitæ nostræ ad perpetuæ  
stabilitatis quietem perducere dignetur.  
Vade cum prosperitate, proficiens in veri-  
tate, reverurus cum gaudio, Homeriane  
puer.

## EPISTOLA AD LEONEM III. PAPAM

Missa per Angilbertum Abbatem Centulensem.

**K**arolus gratia Dei Rex Francorum  
& Langobardorum ac Patricius Ro-  
manorum Leoni Papæ perpetuæ beatitu-  
dinis in Christo salutem. Perlectis excel-  
lentis vestræ litteris & audita decretali  
chartula, valde, ut fateor, gavisus sumus,  
seu in electionis unanimitate, seu in humi-  
litate vestræ obedientiæ, & in promissio-  
nis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex  
intimo cordis affectu divinæ pietati agi-  
mus gratias, quia nobis post lacrymabile  
doloris vulnus quod animæ nostræ dile-  
ctissimi patris & fidelissimi amici obitus in-  
fluxit, tale in vobis solita suæ clementiæ  
providentia solatium perdonare dignatus  
est. Unde & vestræ sanctitati, quasi vica-  
rio lætitiæ munere, per eisdem Dei &  
Domini nostri Iesu Christi misericordiam,  
qui sanctæ suæ Ecclesiæ in vestræ beatitu-  
dinis exaltatione consuluit, nostram om-  
niumque fidelium nostrorum demanda-  
mus prosperitatem, necnon & pacificam

in Dei voluntate totius regni nostri inno-  
tescimus unanimitatem, ut æquè in no-  
stræ devotionis gaudeatis sicut & nos in  
vestræ sanctitatis lætamur successibus. Sed  
& hoc vestræ sanctissimæ benevolentis  
innotescimus, quod cum dilectionis mu-  
nera patri meo dulcissimo prædecesori ve-  
stro dirigere paraveram, ut caritatis quam  
in eo habui munificentis largitate mon-  
strarem magnitudinem, & suavissimæ in-  
ter nos familiaritatis fidelitas multorum  
ostenderetur oculis, ecce subito, quod  
sine dolore non dicam, sine lacrymis non  
cogito præ tristitia, obitus illius legatione  
consternatus sum, & ubi lætitiæ parave-  
ram insignia, ibi me tristitiæ turbaverunt  
lugubria. Etsi Apostolus de mortuis con-  
tristari prohibet, tamen caritas lacrymas  
elicere non cessat. Non quasi mortuorum  
plangentes, sed quasi melius cum Christo  
viventem recordantes, si nos corporali  
præsentia amisisse, non tamen spiritali  
suffragio